INSIGNIA LIBERÆ & REGIÆ
CIVITATIS DÖBROCZEN

NOS LEOPOLDUS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ELECTUS ROMANORUM IMPERATOR

Hajdú-Bihar megyei Levéltár
Debrecen

SEMPER AUGUSTUS AC

Germaniæ, Hungariæ,
Bohemiae, Dalmatiae,
Croatiae, Slavoniæ,
Ramæ, Serviæ, Gallitiæ,
Lodomeriae, Cumaniæ,
Bulgariæque &c. REX.
Archidux Austriae,
Dux Burgundiae,

BRABANTIAE STYRIAE

Hajdú-Bihar megyei Levéltár
Debrecen

CARINTHIÆ
CARNIOLIÆ, MARCHIO MORAVIÆ
Dux Lucemburgæ ac superioris & inferioris Silesiæ, Wierthenbergæ & Thekæ Princeps Sveviæ, Comes Habspurgi Tyrolis, Ferreti, Kyburgi & Goritiæ, Landtgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperij supra Anasum Burgoviæ, ac superioris & inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Slavonicæ, Portus Naonis & Salinarum &c. MEMORIÆ commendamus tenore præsentium significantes quibus expedit universis. QVOD NOS penitius considerantes quantum gloriæ accedat Regibus & Principibus ex multitudine Populorum, quantum decoris & roboris acquirant Regna & Provinciæ in divitijs & amplitudine Civitatum, quam expediens sit Principibus, ut Populis servandis, Beneficijsque tribuendis, ac Civitatibus magnificandis omni studeant diligentia, utpote ex quibus potissima
REGUM ET REGNI

Hajdú-Bihar megyei Levéltár
Debrecen

procedunt comoda, has pro suis obsequijs liberalissime condignis
studeant decorare honoribus, quatenus & Regnantium ex hoc
laudetur Providentia, & Regni ipsorum status uberioris comodi
& profectus suscipiat incrementum: dignum insuper existiman-
tes, ut Principes ea, quæ fidelibus Subditis suis liberaliter largi-
untur, quo ijdem stabiliter uti valeant Regiorum suorum Privi-
legiorum patrocinio memoriæ comendent sempiternæ. UNDE
benigna grataq; recordatione in animum n[ost]rum revocantes mul-
tifaria, grataq; illa Fidelium n[ost]rorum Civium ac Incolarum Pri-
vilegiati Oppidi n[ost]ri DEBRECZEN in Comitatu Bi-
hariensi existen[tis], situati comorantium servitia & servitior[um] merita,
quibus ijdem non solum prosperis & pacatis Temporibus, quin imo
tam præteritar[um] Bellicarum Revolutionum, quam recenti quoq[ue] ca-
lamitoso plurimorum Annorum sub decursu, a quo videlicet po-
tentia Ottomannica Regnum n[ost]rum Hungariæ penetrans, magnam
eius partem igne ferroq[ue] crudeliter depopulatam occupasset, &
subiugasset, ac subsequenter Varadinum etiam expugnasset, deniq[ue]
vero intestinis dissidijs inquietos nonnullorum Regnicolarum ani-
mos in transversum sollicitantibus, detestanda in visceribus Pa-
triæ Rebellio suborta fuisset, continuis Turcarum, Tartaror[um], eisq[ue]
adhærentium Perduellium, miseram Patriam horride vastantium
infestationibus, deprædationibus, & cuiusvis generis afflictionibus

Hajdú-Bihar megyei Levéltár
Debre en

semper obnoxii existentes, inter caeteras inexplicabiles suas aerumnas & calamitates, Anno ab hinc Tertio non ita pridem evoluto per supervenientes ipsumq; Oppidum terribili furore obruentes, ac ab Incolis non solum ingentem, Centum utpote Mille Florenos facile superantem Pecuniae Summam, magnamq; Jumentorum, Pabuli, Frumenti, ac aliarum rerum quantitatem, horrendis minis, terriculamentis, & extremae necis interminationibus extorquentes, verum etiam ipsi supellectilia, aliaq; omnia sibi necessaria, & desiderabilia domatim exquisita, propriis Civium Jumentis & Curribus apposita abripientes hostes Turcas & Tartaros, omnium facultatum fortunarumq; suarum jacturam tam miseranda rerum facie, ut nihil praeter vitam afflictis Incolis relictum esse videbatur, pati & subire debuissent; hoc inquam etiam deplorando immuneris malis concussa Patriae statu, tot inter tantosq; Bellorum tumultus, ac millenas perpessas calamitates, sub ipso pariter truculentissimorum Barbarorum iugo integerrimam suam fidem, & fidelitatis constantiam ergá Sacrum praefati Regni nostri Hungariae Diadema, Augustissimamq; Domum nostram Austriacam, & consequenter Maiestatem quoq; nostram, testatam reddendo, se se tum utiles & proficuos Patriae Cives, tum zelosos boni publici promotores opere ipso, per Victualium quippe ad Partes illas condescendenti Militiae nostrae subministrationem, Rebellium re-

Hajdú-Bihar megyei Levéltár
Debrecen

pulsionem Literarum, Rumorumq; inter densas & creberrimas
diversarum Partium hostilitates, cum maximo prærecensiti Op-
pidi, & Incolarum timore atq; periculo peractas deportationes;
non secus ab ingressu Portionum iam compluribus Annis vigen-
tium per immensas tum in parata pecunia, quam naturali Mili-
tis intertentione præstitas Pensiones Portionales Millionum Sum-
mam constituentes; varios item ad Castra nra & Confinia sibi
viciniora, præsertim ad Bloquadam Varadiensem tres Annos du-
rantem, ac duplicem eiusdem Fortalitij Obsidionem præstitas ve-
cturas, exhibitos labores, frumenti, pabuli, Vini, Curruum, Iumen-
torum, aliarumq; rerum Oppugnationi, & expugnationi deservien-
tium administrationes conceptum humanum superantes, iustoru-
Armorum nrorum contra comunem Christiani nominis hostem
susceptorum, & felici hactenus progressu expeditorum, cum extre-
ma virium suarum defectione, omnium facultatum profusione, ma-
ximæq; partis ipsiusmet Oppidi quo ad Domicilia, & amissos
Incolas desolatione, promotionem; consimiliter actualem etiam in
modernas publicas durantis adhucdum Belli Turcici necessitates
Viginti Millium Florenorum Rhenensium Suma cum Camera
nra Aulica conuentam realem depositionem, manifeste comproba-
re, & edocere non intermiserunt; taliterq; Nos ad singularem ipsis
porrigendam Cæsareo-Regiam Gratiam, & munificentiam nram

Hajdú-Bihar megyei Levéltár
Debrecen

iure merito prouocarunt. Cuius quidem Gratiæ, & liberalitatis nrãe, ut tanto uberiores fructus experiantur, totq; & tanta ipsorum merita, & fidelia multifarie præstita seruitia, debita compensentur remuneratione, ac simul post perpessas a longo iam Tempore calamitates, [: ob quas nimirum in tam miserabilem iam deuenerunt statum, ut nisi præattactæ munificentiæ nrãe ope, & adminiculo sublevarentur, breui in extremam desolationem, vastitatemq; prepetuam infallibiliter redigi deberent:] amissas et obrutas vires recuperare, facultatibus, Ciuibusq; augeri, ac in florentem statum ceu postliminio reponi, ad ulterioraq; Nostra, & Regni commoda atq; seruitia habiliores reddi valeant. Cum igitur ob id, tum etiam ad demissam suprafatorum Ciuium et Incolarum, nec non totius Communitatis memorati Oppidi Debröczen, medio Conciuium pariter suorum Fidelium utpote nrõrum Prudentum ac Circumspectorum, STEPHANI DOBOSY, IOANNIS POSALAKY Iurati Notarij, & GEORGIJ COMAROMY supplicationem Nostræ propterea factam Maiestati, Idem Oppidum nostrum Priuilegiatum Debröczen (superioribus non ita dudum euolutis Temporibus, Diuino auxiliante Numine victricibus Armis nris, per concursum etiam Eiusdem Oppidi non mediocriter promotis, e faucibus iugoq; Turcico ereptum, & pristinæ

Hajdú-Bihar megyei Levéltár
Debrecen

libertati assertum) in Liberam Regiamq; Civitatem de plenitudine potestatis & Authoritatis nrae Caesareae atq; Regiae creandum, praeficiendum, ac in reliquarum nostrarum Liberarum, Regiarumq; Eiusdem Regni nri Hungariae Ciuitatum, perpetuiq; Peculij nostri numerum, coetumq; et ordinem cooptandum, recipiendum ac adscribendum, & non amplius Oppidum, sed Liberam Regiamq; Civitatem Nostram Debröczeniensem nominandam, & intitulandam, ac ut singillatis Literis Regalibus deinceps ad Diaetas Regni inuitetur, annuendum benigne duximus. DECERNENTES & per expressum benigne statuentes, ut juxta Decretationem nram medio Camerae nrae Aulicae sub Dato Viennae Die Undecima Mensis Aprilis in Anno modocurrenti Millesimo Sexcentesimo Nonagesimo Tertio ad Cancellariam nram itidem Aulicam iterato factam, haec Eadem Ciuitas nra Libera ac Regia Debröczeniensis, ipsiusq; Ciues & Inhabitatores a modo imposterum futuris perpetuisq; semper Temporibus in praedictas alias Regias Liberasq; Ciuitates nras asserta & computata, absoluta & omnimoda Iuris Dominij Terrestris, prout & Vinearum Allodialium & Hortensium, Nonae, Iuris Montani, Causarum item ad Tauernicorum nrorum Regalium Magistrum Appellationis, nec non Iuris Gladij, &

Hajdú-Bihar megyei Levéltár
Debrecen

Procuratoriarum Litterarum sub proprio Sigillo ipsorum Ci-
uium expediendarum usu ac facultate, praerogatiuaq; & Au-
thoritate per Nos in eosdem Ciues, & eorum Posteros transla-
ta & deriuata: Iure & jmunitate Pensionis quarumcunq; Tri-
cesimarum & Teloniorum, antiquisq; eorum Consuetudinibus,
& Priuilegijs per Sacratissimum olim Principem ac Dnum Ru-
dolphum Secundum Romanorum Imperatorem ac Germa-
niae, Hungariae Bohemiaeq; Regem Praedecessorem videlicet nrum
gloriosae reminiscentiae auctis & roboratis, non secus per Nos
etiam non ita pridem confirmatis [:] quas & quae ac si praesenti-
bus inserta essent, identidem Confirmamus & ratificamus,] omni-
busq; alijs Iuribus, Exemptionibus, jmunitatibus & libertatib,
jmunitatumq; ac libertatum praerogatiuis, Legibus & Consuetu-
dinibus, quibus aliae huius Regni nri Hungariae Liberae Regiaeq;
Ciuitates nrae ante hac usae sunt, utunturq; & gaudent, intra &
extra Iudicia, tam in Sede & Iudicijs, Diaetaq; Uniuersali, quam
alias ubicunq; uti, frui, & gaudere possint ac valeant. Eo etiam
per expressum declarato: Ut siquidem praenotata Ciuitas nra
Debreczen in loco decliui, depressoq; & lutoso esset situata,
ac ob id ab intra per Plateas ubiq;, foris vero plurimis in locis,
Aggeres & Ponticulos extruere, neq; Vias difficillimis sumptib,
& magnis laboribus indesinenter reparare ac construere ipsi

Hajdú-Bihar megyei Levéltár
Debrecen

Ciues atq; Incolæ necessitarentur; ob idq; certum Telonium in refu-
sionem duntaxat attactorum sumptuum exigendi facultas à Prin-
cipibus Transyluaniæ, ijsdem indulta fuisset, in usu modo dicti Te-
lonij, & quidem tali modalitate, quatenus de uno quoq; Curru va-
cuo medium grossum, de onerato integrum; de Pecoribus autem ad
vendendum pulsis maioribus unum grossum, minoribus medium;
de alijs porrò venalibus rebus eorum inductis iuxta commune Vecti-
gal in alijs Ciuitatibus obseruari solitum proportionaliter exi-
gant, imperturbate relinquantur: non absimiliter Macella publi-
ca, & Hospitia siue Diuersoria intus aut foris in Territorio ipso-
rum exigendi, omnemq; fructum ex eiusmodi Diuersorijs pro-
manantem, in publicarum necessitatum idoneum subleuamen
conuertendi facultas penes solum Magistratum & Communitatē
permaneat; neminiq; inuitis Ciuibus sub quocunq; Titulo aut
prætextu similia Diuersoria intus aut foris erigendi, tanto mi-
nus contra sensum antiquor: ipsorum Ciuium & Incolarum
Debreczenien: Priuilegiorum per Nos modo prævio benignè
confirmatorum, cuiuscunq; generis Educilla siue in Diuersorijs,
siue alibi exercere, aut in præiudicium societatis Laniorum Loci,
Macella pro Carne vendenda tenere licitum esto. QVO verò per-
petuum Libertationis huius, Gratiæq; nræ Cæsareæ atq; Regiæ
ergà hanc Ciuitatem nrām, & illius Ciues ac Inhabitatores,

Hajdú-Bihar megyei Levéltár
Debrecen

benigne elargita extet Testimonium, antiqua etiam quib. hacten.
usi fuerunt Armorum Insignia non solum clementer approbaui-
mus, roborauimus, & ratificauimus, verum etiam integra viren-
tis Palmæ Arbore auximus, & exornauimus; inq. hunc qui sequi-
tur modum posthac habenda & deferenda concedimus & elar-
gimur. SCVTVM nimirum militare erectum coelestini co-
loris, fundum illius Trijugi viridi monticulo interoccupante, e
cuius meditullio, procera Palmæ Arbor, naturali patularum fro-
dium virore adumbrata, subter quam Agnus Paschalis albo in-
crispato Vellere, & radiante Sanctorum Circulo verticetenus
conspicuus, geminis apertis, ac in plana prætacti monticuli su-
perficie collocatis Libris insistere, gradientiq. similis dextro an-
teriori pede paulisper eleuato ac incuruato, Baculum Crucis au-
rei coloris, cum dependente & expanso rubro Vexillo albæ Cru-
ce insignito tenere, totaq. Corporis mole in dextram Scuti oram
conuersa, Capite intrilontinus retorto, Vexillum intueri visitur.
Scuto demum incumbentem Galeam militarem clathratam sive
apertam, Regio Diademate Alitem Phœnicem naturaliter effi-
giatum, expansis alis, & capite eleuato, rostroq. adaperto, ac vi-
ridi laureo Serto pectoretenus præcinctum, ex lignis odoriferis,
ad Solis ab alto radiantis æstum ignem sibi alis excitantem, ac
crepitantibus flammis se ipsum exurentem proferente ornatam.

Hajdú-Bihar megyei Levéltár
Debrecen

A summitate verò siue cono Galeæ laciniis seu lemniscis hinc rubri & albi, illinc autem aurei et coelestini color, in Scuti extremitates sese placidè diffundentibus, Scutumq; ipsum decenter ac venustè exornantibus. Quemadmodum hæc omnia in principio seu Capite præsentis Priuilegii nri Pictoris edocta manu & artificio, propriis & genuinis suis coloribus clarius depicta, & ob oculos intuentium lucidius posita esse conspiciuntur. Porrò ut uberiorē adhuc erga eosdem Ciues & Incolas memoratæ Ciuitatis nræ Döbröczeniensis declaratam munificentiam nram iidem Ciues & Incolæ experiantur, seseq; ob id fideles semper & obsequiosos Subditos nobis exhibeant, eadem Authoritate nostra Cæsarea & Regia id etiam annuimus, benigneq; concedimus, ut iidem, ac eorum Posteri & Successores Uniuersi, Sigillo eiusdem Ciuitatis, prævio modo Armorum Insigniis notato & exsculpto Uniuersas & quaslibet Literas, quacunq; de causa in medio eorundem emanandas Cera coloris rubri sigillare possint; huiusmodiq; Sigillo in Cera coloris prænotati quibuscunque Literis ipsorum appensa, seu appressa, perinde sicut Literis seu Sigillis aliarum Liberarum & Regiarum Ciuitatum nrarum Cera coloris similis in sigillando utentium, vigor & fides adhibeantur, adhiberiq; debeant effectivè & indubitanter. Hac etiam iisdem Ciuibus & Incolis Döbrö-

Hajdú-Bihar megyei Levéltár
Debrecen

czenienſibus facultate per expreſſum conceſsa, & attributa, Ut iisdem ipsam Ciuitatem Debrӧczen ubi id vires & faculta-tes ipsis permiserint, circumquaque Muro competenti cingere, Turribus & Portis firmare ac ornare possint; de cætero verò in omnibus Ciuitatibus nostris Regijs se conformare, & ab ingratitu-dinis ac Infidelitatis nota & macula, sub Poena amissionis & ablationis horum, ac aliorum omnium Priuilegiorum & Liberta-tum suarum, quam ipso facto incurrent, perpetuo sibi cauere, hocque insigne beneficium, & non vulgarem Gratiam atque Cle-mentiam nostram in ipsos collatam, de Nostra Maiestate, Hære-dibusque & Successoribus nostris, legitimis videlicet Hungariæ Regibus omni fide, constantia, & fidelitate iugiter demereri stu-deant debeant ac teneantur. IMO Creamus, præficimus, coopta-mus, recipimus, adscribimus, annumeramus, computamus, de-cernimus, confirmamus, approbamus, roboramus, ratificamus, augemus, exornamus, concedimus, & attribuimus præsentis Priuilegij nostri patrocinio mediante. Saluo Iure alieno, præser-tim vero Ecclesiarum Dei, & Nobilitatis præpedictam Ciui-tatem nostram Debrӧczen inhabitantis. In cuius rei memo-riam, firmitatemque perpetuam præsentes Litteras nostras penden-tis secreti Sigilli nostri quo ut Rex Hungariæ utimur munimine ro-boratas iisdem Ciuibus & Incolis annotatæ Ciuitatis Nostræ

Hajdú-Bihar megyei Levéltár
Debrecen

Debrecen pro ipsis, ipsorumque Posteris, & Successoribus
in aevum valituras, dandas duximus & concedendas. DA
TUM per manus Fidelis nostri nobis dilecti Reverendi Blasij
Iaklin, Episcopi Nittriensis, Lociq; & Comitatus eiusdem
supremi & perpetui Comitis, Consiliarij nostri, & Aulae nostrae
per Hungariam Cancellarij, in Civitate nostra Vienna Austriae
Die Undecima Mensis Aprilis, Anno Domini Millesimo,
Sexcentesimo Nonagesimo Tertio. Regnorum nostrorum
Romani Trigesimo quinto, Hungariae & reliquorum Trige-
simo Octavo, Bohemiae vero Anno Trigesimo Septimo.
Reverendissimis ac Venerabilibus in Christo Patribus
Dnis, Georgio Szechény Metropolitanae Strigoniensis, Leo-
poldo S. R. Ecclesiae Tituli S. Hyeronimi Illyricorum Presby-
tero Cardinale a Kolonicz Colocensis & Baciensis Ecclesiar.
Canonice unitarum Archieppis, Georgio Fenyessy Agrien-
sis, Alexandro Mikulich Zagrabiensis, praenotato Blasio
Iaklin dictae Nittriensis, suprafato Cardinale a Kolonics
Administratore Iauriensis, Fratre Augustino Benkovics Va-
radiensis, Stephano Kada el. Transylvaniensis, Fratre Pau-
lo Széchény Weszprimiensis, Michaële Dvornikovics el. Va-
ciensis, Stephano Telékesy el. Csanadiensis, Matthia Rado-
nay el. Quinque Ecclesiensis, Francisco Iany el. Scopiensis,

Hajdú-Bihar megyei Levéltár
Debrecen

Godefrido Kapaun el: Samandriensis, Andrea Péterffy el:
Nouiensis, Francisco Csikuliny el: Scopiensis, Stephano Ze-
listeuics el: Corbauiensis, Sede Rosonen. vacante, Nicolao Esz-
terházy Tinniniensis, Ioanne Babicz el: Scardonensis, Fra-
tre Nicolao Plumbeo Bosnensis, & Sebastiano Glauinicz
Segniensis & Modrussiensis Ecclesiarum Canonicè unitar.
Episcopis, Ecclesias DEI feliciter gubernantibus. Item
Illustri, Spectabilibus ac Magnificis, Paulo Eszterházy de
Galantha perpetuo in Frakno Sacri Romani Imperij Prin-
cipe, Aurei Velleris Equite dicti Regni nri Hungariæ Pa-
latino, Comite Stephano de Csák Iudice Curiæ nræ Regiæ,
Comite Nicolao Erdeödy de Monyorökerék antelator. Dal-
matiæ, Croatiæ, & Slauoniæ Regnorum nrorum Bano, Offi-
cio Tauernicorum vacante, Comite Georgio Erdeödy de
antelata Monyorökerék Agazonum, Comite Francisco Kéry
de Ipolykér Cubiculariorum, Comite Adamo de Battyán Pin-
cernarum, Comite Christophoro Erdeödy de praerepélita Mony-
orökerék Dapiferorum, Comite Gabriele Eszterházy Curiæ,
Comite Marco Czobor Ianitorum nostrorum Regalium in
HUNGARIA
MAGISTRIS, ac Comite
Ioanne Pálffy ab Erdeöd, Comite Posoniensi,

Hajdú-Bihar megyei Levéltár
Debrecen

cæterisq; quam plurimis toties mentionati Regni Nostri HUNGARIÆ, Comitatus tenentibus & HONORES

Leopoldt

Hajdú-Bihar megyei Levéltár
Debrecen

Blasius Jaklin
Epps Nittriensis

Joannes Hoholany

Præsens benignum Sacræ Cæsareæ Regiæque Maiestatis, Domini Domini clementissimi super Privilegiati Oppidi sui Debreczen, in Regiam & Liberam Civitatem creatione, ac in numerum reliquarum Regiarum & Liberarum Civitatum cooptatione et receptione Privilegialiter emanatum Diploma, Cameræ huic exhibitum, et per modofatam Sanc Cameram debito obsequij cultu acceptatum, inque Registratura Camerali suo modo improthocolatum est.

Ex Consilio Cameræ Hungaricæ
Die 25 Aprilis. Ao 1693.

Joan: fran: Peterffy

Præsens benignum Sacratiss. Cæsa. Regiæque Maittis, Dni Dni Clementissimi super Privilegiati Oppidi sui Debreczen, in Regiam ac Liberam Civitatem creatione, ac in numerum reliquarum Regiarum & Liberarum Civitatum cooptatione, & receptione Privilegialiter emanatum Diploma, Cameræ huic exhibitum, et per modofitam Sanc Cameram debito obsequij cultu acceptatum, inque Officina Rationaria Camerali suo modo improthocolatum est.

Ex Consilio Cameræ Scepusien. Die 4 Junij Ao 1693.

Joannes Jacobus Cau[illegible]
primarij secret.

Hajdú-Bihar megyei Levéltár
Debrecen

Præsens Benignum Suæ Mattis Serenissimæ Dñi Dñi nostri Clementissimi Diploma per Dños Ablegatos introscriptæ Liberæ, et Regiæ Civitatis Debreczen, mihi præsentatum, et a me, debitô fidelitatis, humilitatisqz cultu, exceptum extitit. Viennæ die 23ª Aprilis. 1693.

Ferd. H. Class à Milleithen

Sacræ Cæsª Regiæqz Mattis Consiliarius et Cameralis Administrationis Budensis Administrator.

Hocidem altetitulatæ Suæ Mattis Sacrmæ benignum Diploma per suprafatos Dños Ablegatos sæpedictæ Liberæ & Regiæ Civitatis Debreczen Suie etiam Cameralis Administrationis Substitutioni exhibitum, debitoqz fidelitatis ac humilitatis obsequio acceptatum, ac suo Loco annotatum & improtocolatum extitit. Budæ Die 28. Aprilis 693.

Sacræ Cæsarª Regiæqz Mattis Cameralis Administrationis Substitutio

Georgius Prunner

Hajdú-Bihar megyei Levéltár
Debrecen

Prothocolatum in Libro Regio Folio 47. et sequen[ti] I. K. I. A.